

Piotrkoviensi editum ad trium annorum decursum iterum innovavimus et prorogavimus, prout innovamus, prorogamus ac in executionem ponendum decernimus. Cuius vigore et secundum eius dispositionem omnia homicidia a tempore finiti conventus praefati commissa et quae deinceps infra huiusmodi triennium quomodolibet committentur, ulcisci et puniri debebunt, verum ne ob absentiam nostram a regno² tam diu homicidia interim commissa maneant impunita, ad petitionem eorundem nuntiorum, nomine praefati conventus apud nos factam, tam nocenti malo sine mora castigando salubre remedium adhiberi et prorogationi statuti praefati eam condicionem adiungere censuimus, committentes et iniungentes, prout committimus et iniungimus, ut capitanei nostri, in quorum capitaneatibus homicidia admitti contingat, delationem de homicidio et homicida, quam nobis facere deberent, interim, dum absumus a regno nostro, iudicio terrestri illius districtus, in quo homicida consistit faciant, iudicium vero terrestre vocato ad tribunal suum homicida per citationem, quae ad minus duabus septimanis terminum praecedere et terminus taliter assignatus peremptorium haberi et reputari debet, eum, qui homicidium patrauerit secundum tenorem statuti praefati ad poenam ferendam condemnet et condemnari habeat plenam facultatem, quam omnibus iudiciis terrestribus concedimus per praesentes. Condemnatus vero infra sex hebdomadarum decursum tenebitur carcerem a iudicio in arce aliqua districtus, in quo actio talis ventilabitur, demonstratum, ingredi et intrare sub poenis in praefato statuto expressis. Proinde vobis capitaneis, ad quos praesentes nostrae fuerint perlatae, mandamus, ita habere volentes, ut praemissa prius de prorogatione hac nostra statuti praefati cum condicionibus adiunctis per vocem praeconis publicatione, eos omnes, qui in capitaneatibus vestris homicidia admiserint, iudicio terrestri, ut praemisum est, deferatis et deferre non negligatis sub poena eodem statuto descripta. Secus non facturi. Vilnae tertia Februarii anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo quinto [3 II 1535], regni nostri anno vigesimo nono. Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium.

**IV. SIGISMUNDUS PRIMUS REX POLONIAE OMNIBUS DOCTORIBUS
ET PROFESSORIBUS UNIVERSITATIS STUDII GENERALIS CRACOVIENSIS,
QUI PER VIGINTI ANNOS LECTIONI PUBLICAE OPERAM DEDERINT,
PRAEROGATIVAM NOBILITATIS ET INDIGENATUS CONFERT.
CRACOVIAE, ANNO 1535, DIE 11 MENSIS AUGUSTI**

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviaeque etc. dominus et heres, significamus tenore praesentium quibus expedit universis: quia grata habentes Universitatis Scholae nostrae Cracoviensis merita, quibus regnum nostrum in dies magis ac magis illustratur, cum honestis litterarum studiis ab eiusdem Gymnasii nostri doctoribus iuventus erudita, tam ad pacis quam ad belli maturescit consilium, indeque prodeunt cultus divini et rei publicae huius acerrimi defensores et propugnatores, ac populus nostro regimini a maiestate divina subiectus, ad laudem Dei omnipotentis, ecclesiae incrementum, patriae charissimae decus et gloriam, sublata de medio ignorantiae coecitate, in omni doctrina et scientia eruditus cernitur; ne tanta haec Scholae huius erga nos regnumque nostrum, merita non remaneant irremunerata, serenissimi Vladislai Iagielonis avi et antecessoris nostri, regis gloriosissimi, vestigia inhaerentes, omnes doctores Studii praefati, Sacram Theologiam, Ius Canonicum, Medicinam, Leges, aliasque honestas scientias et Artes Liberales profitentes, novis favoribus et gratiis augere volumus, quo eos ad ulterius de nobis, regnoque nostro benemerendi studium tali benevolentiae nostrae testificatione accendamus. Proprio itaque motu nostro praefata merita attendentes, quae unicuique secundum iustitiam pari gratia retribuere debemus, de praelatorum, baronumque nostrorum consilio et assensu¹, praesenti hoc nostro diplomate statuimus perpetuis deinceps temporibus et in

² Zygmunt I wyjechał na Litwę w czerwcu 1533 r.

¹ Zwrot ten świadczy, iż Zygmunt I zasięgał w tej sprawie zdania senatu (sejm bowiem zastrzegł dla siebie nobilitację dopiero w 1578 r.). Głównym zwolennikiem takiego przywileju dla Uniwersytetu był podkanclerzy Piotr Tomicki. Por. H. Barycz, *Historia Uniwersytetu Jagiellońskiego w epoce humanizmu*, Kraków 1935, s. 128.

aevum ab omnibus cuiuscumque status et conditionis hominibus inviolabiliter observandum: quod doctores praefati et professores actu legentes, etiam si non ex nobilibus Regni Poloniae indigenis parentibus progeniti fuerint, ad quasvis in regno, dominiisque nostris dignitates, tanquam emeriti valeant accedere, nulloque omnino dignitatis, muneris vel officii, tam spiritualis quam saecularis, senatoriae et equestris, existant inhabiles; satius enim est gestis propriis florere, quam maiorum opinione uti, nec maior nobilitas est ea, quae propriis virtutibus comparatur. Bona quaevis terrestria valeant acquirere et possidere, ac omnibus libertatibus, honoribus et privilegiis, quibus nobiles regni nostri indigenae gaudent, ipsi quoque gaudeant et fruantur. Quod etiam ad nos omnes extendimus, qui Scholae praefatae Rectoris generalis ordinatione ac ecclesias vel in aliis locis quibusvis in regno scientias praelegunt, aut easdem quovis alio modo exercent et tractant. Et quoniam Romani Imperii legibus statutum est, doctores per viginti annos publicae lectioni in Universitatibus operam dantes, ius nobilitatis non solum in personam suam acquirere, verum etiam ad successores suos legitimos in perpetuum transfundere; laudabilem hanc legem nos quoque Scholae Cracoviensi in regno, dominisque nostris, in perpetuum concedimus, et ex regia munificentia nostra largimur, statuimusque, ut omnes doctores et professores, qui in nostro hoc regio Gymnasio per viginti annos continue lectioni publicae operam dederint, ad prolem quoque suam ex legitimo matrimonio conceptam, omne ius praerogativae et dignitatis nobilitatis transfundant, sitque dicta proles cum suis legitimis descendentibus utriusque sexus capax in aevum in regno dominiisque nostris omnium dignitatum, libertatum et praerogativarum, tam spiritualium quam temporalium, statum equestrem concernentium, valeantque accedere ad quosvis regni nostri honores, munia et officia, bona quaevis terrestria possint acquirere et acquisita sine quavis angaria, quocunque vocabulo censeatur, possidere, sive in eadem Schola in loco patrum suorum permanserint, sive alio semet transtulerint, more aliorum regni nostri nobilium viventes. Expeditionem tamen bellicam una cum aliis nobilibus regni nostri, si professores actu legentes non fuerint, ex possessionibus suis obire tenebuntur, more aliorum nobilium servientes, iuxta regni nostri statuta. Quae quidem omnia et singula de plenitudine regalis nostrae potestatis, praefatae Scholae nostrae Cracoviensi, eiusque doctoribus et professoribus damus, donamus et concedimus perpetuo et in aevum, quod omni meliori modo esse volumus, ac defectus omnes, si qui in eadem donatione, statutoque nostro fuerint, auctoritate nostra regia supplemus, non obstantibus quibuscunque in contrarium praefatorum, quibus hisce nostris, ac si eisdem inserta essent, pro hac parte derogamus. Per hanc autem donationem nostram et statutum non intendimus derogare quidquam antiquis praedecessorum nostrorum regum Poloniae et nostris eidem Universitati concessis quomodocunque privilegiis, imo eadem praesentibus, ac si hisce inserta essent, approbamus, ratificamus et innovamus. Nulli ergo omnino hominum, cuiuscunque status, gradus et dignitatis fuerit, liceat unquam praesenti nostrae donationis statutoque decreto et privilegio in aliquo contravenire vel de eodem in contrarium iudicare; quod si attentatum id fuerit, totum inane ac irritum esse declaramus. Pro serenissimis autem successoribus nostris Poloniae regibus promittimus, quod ipsi hoc privilegium nostrum in omnibus et singulis punctis manutenebunt, nec unquam eidem publice et privatim contravenire permittent, quinimo serio in eiusmodi contraventores animadvertent et contraventiones eiusmodi prout iniustas et iniquas cassabunt et annihilabunt. In quorum omnium et singulorum fidem, robur ac testimonium praesentibus manu nostra subscripsimus, ac eisdem sigillo nostro communiri mandavimus². Datum Cracoviae, feria quarta in crastino festi sancti Laurentii martyris, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo quinto [11 VIII 1535], regni nostri anno vigesimo nono. Sigismundus rex subscripsit. Relatio reverendi in Christo patris domini Petri episcopi Cracoviensis ac Regni Poloniae vicecancellarii.

² Po tym tekście *Codex Diplomaticus Universitatis Studii Generalis Cracoviensis* (Cracoviae 1884, t. IV, nr 364, s. 140), zawiera następującą informację: Ex archetypo membranaceo, cum sigillo cereo rubro, taeniola membranacea appenso. Sigillum regale minus exhibet scutum quadripartitum cum insignibus Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae. In ambitu vero legitur sequens inscriptio literis maiusculis italicis exarata: S.S.P. DNI. SIGISMVNDI D.G. REGIS POLONIE. MAGNI DVC. LITVANIE ETC. — Nr. Archiv. Univ. 12, 546.